

*Facultas absolvendi in locis Alex. Quarg.  
Soler. Castellat. Ugul. & Casal. Aq. diœc.  
data F. F. Ord. Herem. conv. Alex.  
ab Episcopo Aquensi.*

347

M C C C L X X.

**G**uido Aquensis Episcopus, & Comes dilectis nobis in Domino Jesu Christo Franceschino de Castelletto, & Francisco Gardino de Castronovo Incisæ ordinis Heremitarum sancti Augustini conventus Alexandriae Aquensis diœcesis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Supplicationibus vestris inclinati, & de circumsp̄ctione, ut plurimum confidentes ex auctoritate nostra ordinaria vobis, & vestrum cuilibet committimus, & licentiam damus, quod in dicto loco Alexandriae, & in Quargnento, Solerio, Castellatio, Ugulis, & Casalibus circumstantibus præfatæ nostræ Aquensis diœcesis possitis confessiones audire; & absolvendi a casibus omnibus nobis, & aliis Episcopis a jure reservatis tenore præsentium concedimus facultatem, & quod possitis illis, qui vobiscum confitebuntur, pœnitentias injungere salutare, super quibus omnibus vestras oneramus conscientias præsentibus usque ad festum Pentecostes proximum duraturis. In quorum testimonium præsentis fieri jussimus, & sigillo nostro muniri. Actum, & datum in castro Bestagni die VIII. octobris, anno Domini MCCC-LXX., indictione VIII.

*Denunciatio electionis Vicarii Capitularis post mortem Guidonis canonicis absentibus.*

348

M C C C L X X I I I.

**A**nno Domini MCCCLXXIII., XXV. martii in castro Bestagni, Bartholomeus de Porta, Gabriel ex Marchionibus Incisæ, presbiter Fabri, vel ejus procurator, Joanninus de Quiregio . . . Canonicis absentibus . . . Noscat vestra fraternitas, quod statim defuncto Rev. in Christo Patre, & D. D. Guidone Dei gratia Episcopo Aquensi, & Comite nos capitulum congregati in castro Bestagni volentes providere salutem animarum subditarum Aquensi Ecclesiæ, & obviare, ne sede vacante eidem præjudicium generetur . . . . . constituimus Vicarium generalem tam in spiritualibus, quam in corporalibus egregium, & venerabilem virum D. Jacobum ex Marchionibus Incisæ Canonicum dictæ Ecclesiæ tamquam illum, per quem dicta Ecclesia potest tam in spiritualibus, quam temporalibus defensari; & deinde Rev. in Christo Pater D. D. frater Jacobus Millepotensis Episcopus procuratorio nomine ven. D. Antonii, & Percivalli de Sigismundis nepotum suorum concanonicorum consensit, & approbavit.

*Ordinatio habita ab Episcopo Megarensi  
in Ecclesia Bestagni.*

349

M C C C L X X I I I.

**A**nno Domini MCCCLXXIII. XVII. decembris. Præsentibus Rubeo de Coconato Monaco sancti Petri de Aquis, Ludovico de Culardis ord. Bethlem, Telato Filius Magistri Gullielmi de Clericis phisici

de Nicia D. Franciscus ordinis Prædicat. Episcopus Megarensis de voluntate, & licentia D. Presbiteri Bartholomei de Porta Canonici Ecclesiæ Aquensis, & Vicarii capitularis ejusdem sede nunc vacante post festum S. Luciae sacros ordines in Ecclesia S. Joannis de Bestagno generaliter celebrando Joannem de Quiregio Canonicum Ecclesiæ Aquensis, & Archipresbiterum Ecclesiæ S. Mariæ Plebis de Bestagno ad titulum dictorum suorum beneficiorum ad S. Presbiteratus ordinem ordinavit secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ ecc.

*Collatio Ecclesiæ Parochialis S. Stephani Bergolii  
facta ab Archidiacono Priori ejus Conventui.*

M C C C L X X V I I.

350

**F**ranciscus Dei gratia Archidiaconus, & Ordinarius civitatis Alexandriae, & jurisdictionis ejusdem tibi Fr. Stephano de Quargento ordinis Servorum S. Mariæ nuper electo, & confirmato in Priorem Ecclesiæ S. Stephani de Alexandria quarterii Bergolii, jurisdictionis suprascriptæ, & conventualis ordinis prælibati nobis ratione Parochiæ, quam habet, immediate subjactæ, salutem, & sinceram in Domino charitatem. Tua, & ejusdem Ecclesiæ, sive conventus ipsius fratrum nobis porrecta petitio, & petitionis series continebat, quod cum nuper creatus fueris in Priorem Ecclesiæ memoratæ, & teneris tempore tuæ promotionis factæ de antedicto Prioratu a nobis petere curam animarum dictæ Parochialis Ecclesiæ, quia tempore nunc generalis Prioris dicti Ordinis non fuit a tuis petita prædecessoribus, nec obtenta a nobis, nec a quoquam prædecessorum nostrorum, dignaremur tibi curam antedictam committere, secundum quod teneremus, & debemus ex pactis initis inter prædecessores nostros, & fratres dicti Conventus, & Ecclesiæ prædecessores tuos tempore concessionis dictæ Ecclesiæ factæ fratribus ordinis antedicti in Ecclesia superius memorata. Eiusdem, & prædictorum fratrum visis precibus inclinati de tua utique discretione, & sapientia confidentes, & ne eadem Ecclesia, & ipsius Ecclesiæ Parochia Rectoris defectu patiat in divinis, & spiritualibus ministeriis detrimentum, tibi præsentium auctoritate committimus, & licentiam plenariam elargimur, ut possis Parochianis dictæ Ecclesiæ tam mulieribus, quam maribus Ecclesiastica omnia, & necessaria Sacramenta conferre, & omnia alia facere in dicta Ecclesia, & ipsius Parochia, quæ ad curam pertineat animarum. In cujus rei testimonium præsentis fieri jussimus, & sigilli; quo utimur, appositione muniri. Dat. apud majorem Ecclesiam civitatis prædictæ anno Domini MCCCLXXVII., die VII. mensis junii, XV. indictione valituris præsentibus pro te, & successoribus tuis, durante tamen nunc generali Priore ordinis antedicti.

Ego Archerus de Puteo natus Gayffini publicus Imperiali auctoritate Notarius pub., & scriba Officialis suprascripti Domini Archidiaconi de ejus mandato scripsi omnia suprascripta, & signum meum apposui consuetum in testimonium præmissorum.